



7
/

ORDINIS MEDICOVRM
IN
ACADEMIA VITTEMBERGENSI
H. T.
PRO - DECANVS
CHRISTIANVS FRIDERICVS
NVERNBERGERVS

1794
4 ba

MEDIC. ET PHIL. DOCT. ANATOM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORD. MVS. ANAT. ET NAT. CVRIOS. INSPECT.
ET SOC. OECON. LIPS. SODAL.

SOLEMNIA INAVGVRALIA MEDICA

D. XVII. MENS. NOVEMBR. A. R. S. C1910CCXCIV

CELEBRANDA INDICIT

PRAEMISSA ORATIONE

DE NAEVIS QVIBVSDAM POLITIAE MEDICAE
ACADEMIIS PLERVMQVE ADHAERENTIBVS.

27

1794

ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA KETTERBERGENSI
H. T.
PRO-DECANVS
CHRISTIANVS FRIDERICVS
IVERNBERGERVS

MEDICVS ET PHIS. DOCT. ANATOM. ET BOTAN. PROF.
VIRI ORD. PVS. AMAT. ET NAT. CVM SVIS INSPECT.
ET SOC. GEORG. LITH. SODAL.

SOLEMNIA IN AVGVSTIA MEDICA
D. XVII. MENS. NOVEMBR. A. R. S. CIGIDBERGENSIS
GELFRANDI INDICIT.

PRAEFATIO ORATIONE
DR. NAUENS. GVEVSDAM POLITICAE MEDICAE
ACADEMIAE FERRAVOVIENSIS PHARMACIAE

27





Matissime patet campus politiae medicae, et ubicun-
que circumspicias, eius, nisi semper proficua ve-
stigia, influxum tamen maxime necessarium utique
deprehendes. Quot enim res sunt, quae corpus nostrum
quotidie atque vbiuis locorum ambiunt, aut ingeruntur,
aut geruntur, aut applicantur, tot quoque causae existunt,
quibus hominum sanitas modo conseruari, et promo-
ueri, modo pessundari et labefactari potest. — Ecquis vero
est, qui ignoret, circa hominum sanitatem hunc omnis poli-
tiae medicae cardinem cumprimis verti? aut qui inficias ire
audeat, eandem summum eius praecipuumque caput consti-
tuere, nec posse finem eius vnquam aut recte attingi, nisi sa-
nitatis eorum, quibuscum sub eodem coelo degimus, et iusta
ratio, et prouida cura habeatur? Nonne enim reipublicae
plurimum interest, vt saluti ciuium, quantum fieri potest,





optime prospiciatur? an communem omnium salutem sine prospera eorundem valetudine vnquam locum habere posse credas? Quibus autem magis, quam illis, qui ad clauum rei-publicae sedent, et summam rerum gubernant, hoc incumbit officii, vt curent sedulo, sapienterque caueant, ne quid vnquam ciuium valetudo detrimenti capiat, aut vlllo modo periclitetur? Aut quae, inquam, instituta publica, decreta, et leges, magistratuum sapientiam, prudentiam, iustitiam, humanitatem, ac probitatem magis redolent, quam, quae eo collineant, vt vita et sanitas ciuium optime conseruetur, confirmetur, augeatur, restitatur, et ab iniuriis fortuitis, quantum fieri potest, tutissima praestetur? Sicuti vero haec vel ab ipsis medicis, honeste proponentibus, saepe primum et opportune in medium proferuntur, ita vel iisdem antea probe consultis, et secundum saniora diaeterices et medicinae principia vtplurimum recte ordinantur, et constituuntur. En! veram politicae medicae, siue, quam dicunt, medicinae politicae imaginem! —

Quaquam e veterum monumentis luculenter apparet, ne apud eos quidem medicinam politicam penitus incultam obscure latuisse, postea tamen vel plus iusto neglecta fuit, vel ad medicinam forenses relata, et tanquam pars eius considerata. Quam male vero hoc factum sit, ex eo statim intelligitur, quod medicina forensis causas comprehendat, in foro tantum obuias, atque siue de iuribus ciuium, siue de praecipis, et institutis dubiis ac incertis, in lance medica demum expen-

expendendis, et ex principiis physicis recte definiendis agat. Medicina vero politica magis ad curiam videtur pertinere, et circa rempublicam bene ordinandam et administrandam, nec non circa hominum sanitatem, vt par est, curandam, versatur. Permagna igitur gratiae habendae sunt viris celeberrimis, atque doctissimis, qui laudabili opera et lucubrationibus suis in eo diligenter elaborarunt, vt non modo hanc antea incultam medicinae partem e tenebris feliciter protraherent, verum etiam scriptis eruditissimis egregie illustrarent, et in formam systematis, (quod antea factum erat nunquam,) ordine bene digesto, redigerent, adeoque sic ansam praerberent vberissimam, quo super ea quoque possent praelectiones in academiis haberi, nec sine eximia discendi cupidorum vtilitate, atque cum plurimo sane scientiarum augmento iam vere habeantur. Hinc digni vtique sunt, quorum illustria nomina signis nunquam interituris, in fastis litterariis graphice notentur, *Frankiorum* puta, *Scherstorum*, *Houstorum*, *Baumerorum*, *Metzgerorum*, *Hebenstreitorum*, et aliorum, quique vel ipsimet publicis laudibus atque encomiis celebrentur tanquam tales, qui fructuosissimo studio ac labore tellurem maxime incultam ac sterilem in agrum fertilem ac foecundissimum primi gloriose transmutarunt.

Quod si porro perpendimus, esse in academiis confluxum plurium, siue docentium, siue discantium, siue superiorum, siue subditorum, et aliorum, qui in societate viuunt; inque communem aliquem finem hos omnes ac singulos conspirare; esse



que in communem omnium securitatem, utilitatem, et salutem non modo sapientissimas leges sancitas, verum etiam varia instituta, et loca publica fundata; hisque mediantibus singula societatis huius membra artissime, atque ita inter se copulari, ut integrum corpus constituant; qui quaeso dubitabis, quin status academiarum rempublicam repraesentet, quinque statum politicum vere efficiat?

Ex his vero consequitur, ut in academiis quoque sanitatis publicae iusta ratio habenda sit, utque vel illi, qui in iisdem praesunt, obligatione quadam teneantur, quicquid sub eorum ditione positum est, ita gubernandi, instituendi, ordinandi, ac disponendi, ne reliquorum civium sanitas inde unquam periclitetur, aut pessundetur.

Sed age, ad naevos illos ipsos veniamus, qui academiis circa politiam medicam plerumque adhaerent. In his prima, quod profecto mirabimini, censura res anatomica vexanda est. Circa hanc nempe bifariam delinquitur, nec sine graui sanitatis aliorum offensione. Equis enim est, qui incicias ire audeat, sanitati civium tanto melius prospectum iri, quo magis gaudet respublica in arte sanandi peritissimis, probe doctis, ac dexterrimis. Ad hanc vero scientiam rite comparandam, quantum perfecta structurae corporis animalis, ac morborum cognitio conferat, non nemo est, quin intelligat. Dolendum igitur est, quod cadauera, morbis obscuris, mortibusque repentinis defunctorum, dissecandi ac perlustrandi occasio, non tam, ut par est, auctoritate publica, medicis largius submis-

nistre-



nifretur, quam potius, vt suum cuique tribuatur scilicet, ac ne quam forte bonae apud vulgum existimationis iacturam patiamur, omni data opera, variisque causis praetextis, praeripiatur? Silentio praetereo, quod, cum medicis haec vltro non liceant, vel ipsi, vel omnis aegrotantium cohors commodis ac vtilitatibus quam plurimis male defraudentur.

Alia praeter haec macula, quae medicinae politicae in academiis plerumque e re anatomica iniusta est, ad ipsa Theatra anatomica pertinet. Haec in aedificiis vt plurimum publicis exstructa sunt, et collegiis academicis inserta, quae a bene multis aliis hominibus aut simul inhabitantur, aut multum frequentantur. Tantum abest, vt vtilissima haec theatra cum lanienis, tetrise locis morticinariis comparanda sint, eademque loca esse, iam solo aspectu horrorem et auersationem procreantia, omniumque sordium, omnisque spurcitiei hic verum opineris confluxum, vt potius a bene moratis anatomiae studiis decentissimae puritatis ac elegantiae, quantum fieri potest, strenuissime ratio semper habeatur. His tamen non obstantibus impediri nullo modo potest, quin e cadaveribus saepenumero in putredinem vergentibus, aut ex inhumatione extemporanea carniū inutilium, et nullis amplius demonstrationibus inferuentium, aut e diuturna aliarum partium coctione, maceratione, aplicatione, et quavis alia praeparatione exhalationes mephiticae, pessime olentes, teterrimae, vereque pestiferae exsurgant, et in omnem circumiectam regionem iuxta atque auram diffundantur. Neque egregium Theatrum
anato-



anatomicum, quo nostra academia superbit, hoc perniciosissimo vitio caret. Quid vero magis medicinae politicae principis aduersatur, summamque inhumanitatem redolet, quam cogere velle alios, vt sub eodem cum cadaueribus tecto degant, et loco vitae pabuli auram corruptam, pessimeque inquinatam inspirent, et pretiosissimum vitae donum, sanitatem inquam corporis, aliorum culpa misere pessudent? Et quot quaeso sunt, quibus e necessario, et quotidiano hoc funerum consortio, quod illi vehementer auersantur, tam ingens metus terrorque incuti potest, vt de sanitate quoque haud parum periclitentur? Quam foecundae enim sint tales animi perturbationes ac commotiones morborum periculosorum, ne dicam ipsarum mortium subitarum procreatrices, vel ipsae de peste historiae verissimae abunde testantur. Quod si vero omnes omnium artificum opificumque officinae, odorem ingratum spargentes, aut aliis quibuscunque exhalationibus molestae, ex sanctione Medicinae politicae sapienti, extra vrbs pomperia relegandae sunt, ne quid inde sanitati ciuium officiat: quanto meliori profecto iure digna iudicanda sunt theatra anatomica, quae, quo minus noceant, ex aliorum hominum conspectu et communiōe remoueantur.




Iam vero filum orationis nostrae abrumpendum est, alia scribendi occasione, propediem instante, denuo adnectendum, quo chartae parcamus, et impensis typographicis, absque iniuria, haud multiplicandis. Itaque breuibus adhuc indicabimus, quodnam totius huius rei sit consilium. Est nimirum

mirum ex scholae nostrae alumnis *Vir Praenobilissimus atque Doctissimus*, ERNESTVS FRIDERICVS GRAVNIVS, producendus ac nominandus, qui iam ad altiora adspirat. Sed age! antea Eundem Ipsum audiamus, vitae studiorumque suorum rationem enarrantem:

Ego, ERNESTVS FRIDERICVS, *Remissa-Misnicus*, natus anno huius saeculi LX, patre utor M. HENRICO GEORGIO GRAVN, ecclesiae *Remissenfis et Weidmannsdorfsis Pastore bene merito*, et matrem *honestissimam*, ROSINAM CHRISTIANAM, e gente WIMMERIA, omni pietate veneror. Quibus parentibus *dilectissimis pro beneficiis*, quae in me contulerunt, maximas, quas possum, gratias persoluo, et ut diutissime adhuc valetudine non interrupta, et senectute tranquilla fruantur, ex animo opto. Prima fundamenta religionis christianae in schola patria feci; ut autem in schola *Electoralis*, quae *Grimmae* floret, recipi possem, *Frater natu maximus*, *Pastor Patri substitutus*, *Vir maxime Reuerendus*, primis linguarum doctarum initiis me domi imbuit. Cui pro hoc labore et fraterno amore per totam vitam gratum animum habebo. *Humaniorum vero literarum variarumque artium ingenuarum addiscendarum causa*, *Parentes Carissimi scholae Electoralis Praeceptoribus doctissimis atque fidiissimis*, ipsi me tradiderunt. In hac litterarum et artium officina integrum sexennium peregi, quo sub ductu RICHTERI, REICHARDI, HOFMANNI, MVECKII et b. KREBSII, tunc temporis *Rectoris*, doctis linguis et



artibus liberalibus addiscendis operam dedi. Quorum Virorum gra-
uissimorum ac meritissimorum nomina perpetuo grati animi amplectar
memoria. Relicto hoc lyceo in aliam Musarum Lipsiensium sedem me
contuli, atque ibi a Viro Magnifico b. BOSTO, tunc temporis aca-
demiae Rectore, in numerum civium academicorum sum receptus. Huc
loci primum Theologiae addiscendae operam nauavi, eaque de causa
praelectionibus interfui Philosophorum et Theologorum Praestantissi-
morum ac Celeberrimorum. Praeceptores nempe mihi fuerunt: PLAT-
NERVS, quem primum audiui Logicam, Metaphysicam et Anthropol-
ogiam docentem, b. ERNESTI, cuius interpretationibus Noui Testa-
menti, et institutionibus Theologiae dogmaticae, ac moralis interfui;
EVRSCHERVS, quem audiui historiam orbis vniuersalem, religionis
Christianae restauratae, et literariam exponentem; b. DATHIVS,
cuius Praelectionibus in Psalmos et Prophetas auditor adfedi; b. MO-
RVS, cuius scholas frequentavi, quibus libros Ciceronis et Noui Testa-
menti interpretatus est; neque aliorum Doctorum praelectiones varias
neglexi. Hoc cursu academico absoluto Dresdam petii, ubi per aliquot
annos nobilissimarum familiarum literis elementaribus instituendarum
provincia mihi demandata est. Ibi autem, cum mihi cognitio oeconomiae
corporis humani valde arrideret, suasu Doctorum quorundam celeberr-
morum, medicinam profitentium, commotus, Kiliam sum profectus. Ibi
sub auspiciis Illustr. ACKERMANNI, qui a consiliis medicis est Regis
Danorum, Anatomiam tractavi, Celeberrimum HENSLERVM, Ar-
chia-

chiatruram, Physiologiam, Pathologiam, Diaeticam et Medicinam forensem enucleantem, audiui. Experientiff. WEBERVS Botanicam, Materiam medicam, Therapiam specialem, et artem formulas medicas conscribendi, exponentem, frequentui, cuius etiam Instituto clinico medico-chirurgico interfui. Praeterea Duce Exper. HENSLERO iuniori artem obstetriciam exercui, neque minus instituyente dexterrimo HEINSIO Chirurghiam, itemque docente M. SCHRADERO Chemiam et Physicam excolui. Ita praeterlapsis nonnullis annis redii in patriam, et Vitenbergam veni, doctrinas medicas continuandi causa, ubi ab Excellent. MATTHAEI, tunc temporis academiae Rectore Magnifico, ciuibus academicis adscriptus sum. Hic mihi contigit uti praelectionibus doctissimis Viri summe Venerabilis et Experientiff. BOEHMERI, super Therapia generali et speciali habitis, et interesse collegio eius disputatorio. In tradenda Anatomia et Physiologia usus sum institutionibus Exper. D. NVERNBERGERI, nec non in Pathologia, et doctrina de febribus Viri Experientiff. D. TITII. Ut fidiſſimorum horum Praeceptorum merita et benevolentiam omni obseruantiae et pietatis cultu per totam vitam venerabor, et celebrabo semper, iisdemque fausta quaeuis nunquam non apprecabor, sic quoque me ipsis ad gratias habendas, quoad vitam, deuinſum esse, sentiam, et ut vel mihi etiam perpetuo bene cupiant, in summis habeo votis.

His satis bene praeparatus litteris tanto confidentius ab Ordine nostro petere potuerat, ut ad examen, quo via ad sum-





mos in arte sanandi honores patefit, admitteretur. Factum hoc est semestri praeterito, tanta cum laude Eius et gloria, vt et adfensum nostrum reportaret, et maxime dignus iudicaretur, qui posset in Candidatorum Medicinae numerum recipi. Nec propterea secundis eius petitionibus deesse potuimus, quibus laurea Doctorali exornari auct. Ante vero, quam hoc fieri possit, nouum eruditionis specimen Eidem edendum est. Conscendet eo consilio cathedram medicam, comitatus a grauissimo Praefide, *Viro scilicet summe Venerabili ac Experientissimo BOEHMERO*, Fautore plurimum colendo et Collega coniunctissimo, e qua publice disputabit super libello: *de speciebus aeris atmosphaerici, eiusque effectibus in corpus humanum*, ab Ipso proprio Marte elaborato. Indictus est huic actui disputatorio dies XVII mens. Nouembr. cui, vt beneuole interesse velint **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLUSTRISSIMI, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, BONARVM LITTERARVM FAVTORES** reliqui, nec non **GENEROSISSIMORVM AC NOBILISSIMORVM COMMILITONVM** corona, omni qua par est obseruantia et humanitate Ordinis mei et Candidati Dignissimi nomine, meisque verbis oro rogoque. P. P. Dominica XXII. post Fest. S. S. Trinitatis MDCCCXCIV.

VITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII.

de medicinae historiae et philosophiae
de medicinae historiae et philosophiae
de medicinae historiae et philosophiae

vd 18


ULB Halle 3
001 558 609



70511







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



MEDICORVM
IN
TEMBERGENSI
I. T.
DECANVS
S FRIDERICVS
BERGERVS
ANATOM. ET BOTAN. PROF.
ET NAT. CVRIOS. INSPECT.
ON. LIPS. SODAL.
GVRALIA MEDICA
MBR. A. R. S. CIOCCCXCIV
DA INDICIT
SA ORATIONE
AM POLITIAE MEDICAE
MQVE ADHAERENTIBVS.

1794
4 ba

7

94

27

1794